

In Nomine sancte & individue Trinitatis amen. Solent presentis temporis acta noticiam effugere modernorum si non fuerint vive vocis aut literarum munimine roborata. Hinc est quod nos Dei gratia Swantopolcus Dux Pomeranorum notam esse volumus universis Christi fidelibus tam posteris quam presentibus presentem litteram inspecturis, villam que Riceno nuncupatur in Thupensi Dyocesi sitam, Domino Hermanno Capellano nostro jure hereditario duorum equorum pretio comparatam vendidisse sibi sueque posteritati in perpetuum possidendam. Addimus etiam quod possessores predictae ville ab omni exactione seculari totaliter sint liberi. Et ut autem hec venditio futuris temporibus rata & inconvulsa teneatur presentem litteram sigilli nostri impressione duximus roborandam. Actum Stolp Dominice incarnationis M^o CC^o XL^o. Hujus rei testes sunt Stephanus Juedox. Landa. Radzlaus. Wech. Cristianus. Ortamus. & alii quam plures. VI. Calendis Aprilis.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]